





2A  
19./

SPECIMEN  
JURIS PUBLICI UNIVERSALIS  
DE  
**COMMODIS ET JURIBUS, QUÆ  
SITUS ET CONDITIO CIVITATUM  
MARITIMARUM NATURALIS, AD COMMERCIA  
IN IISDEM EXERCENDA INDULGENT.**

---

QUOD  
PRAESIDE  
**DANIEL GRALATH**  
JUR. UTR. D. EJ. ET HIST. P. P. O. ET ATHEN. INSPECTORE  
IN AUDITORIO MAXIMO  
AD D. X. AUG. A. R. S. c/o ID CCLXXXIV  
ADVERSUS OPPONENTES.  
CHRIST. MICH. NATHAN. GERBER, GED. I. V. C.  
CAROL. MICH. GRODDECK, GED. I. V. C.  
CAROL. FRIDER. REGIMENT, GED. I. V. C.

PUBLICE DEFENDET

**JOANNES EPHRAIM SCHMIDT**, GED. I. V. C.  
STIPENDII FISCHERO FERBERIANI ALUMNUS

---

GEDANI,

TYPIS DAN. LUDOV. WEDEL, MAGNIF. SENATUS  
ET ATHENAEI TYPOGRAPHI.



INCLYTAE  
REIPUBLICAE GEDANENSIS  
PER MAGNIFICO SENATUI  
PER ILLUSTRI,  
**S. R. M. BURGGRABIO**  
PER MAGNIFICIS, MAGNIFICIS GENEROSISSIMIS  
MAXIMEQUE STRENUIS  
PRAESIDI  
PRO PRAESIDI  
PRAE CONSULIBUS  
CONSULIBUS  
PATRIAEC PATRIBUS OPTIMIS,  
INPRIMIS  
**JOANNI ERNESTO**  
**SCHMIDT,**  
PATRI MEO PERDILECTO;  
UT ET  
PRAENOBILISSIMIS  
AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS  
DICASTERIORUM  
UTRIUSQUE CIVITATIS MEMBRIS  
SENIORIBUS  
CON SENIORIBUS  
ASSESSORIBUS RELIQUIS  
JUSTITIAE ARBITRIS LONGE GRAVISSIMIS,  
MERITISSIMISQUE;

NEC

NEC NON  
SUMME VENERABILI  
*CONSULTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,*  
*EXCELLENTISSIMIS, DOCTISSIMIS,*  
GYMNASII PATRII  
PROFESSORIBUS  
PRAECEPTORIBUS ET FAUTORIBUS  
SUIS OPTIMIS;  
NOBILISSIMIS SPECTATISSIMIS  
DOMINO  
CAROLO RENNER  
DOMINO  
JAC. ERN. SCHUMANN  
SECRETARIIS REIP. GED. OPTIME MERITIS;  
NOBILISSIMIS ET SPECTATISSIMIS  
AD AEDEM DIVAE  
MARIAE ANTISTITIBUS;  
PATRONIS ATQUE FAUTORIBUS  
MAXIME DEVENERANDIS ATQUE COLENDIS  
DISSERTATIONEM HANC IN SUI STU-  
DIORUMQUE SUORUM COMMEN-  
DATIONEM, SUBMISSE DAT, DICAT,  
CONSECRAT  
TANTORUM NOMINUM  
CULTOR DEVINCTISSIMUS  
JOANNES EPHRAIM SCHMIDT.



De Commodis et Juribus, quæ situs et conditio  
Civitatum maritimarum naturalis, ad com-  
mercia in iisdem exercenda indulgent.

PROOEMIUM.

Frequenter fere fieri conspescit, nec tamen ætatis nostræ genio ad meliorandum ac reformandum perquam excuto, omnino ignoscendum est, quod in Orbe politico æque ac litterario, inter salubriores quæ sunt errorum et præconceptarum opinionum exsirrptiones, ejusmodi non-nunquam dogmata infestentur, quæ per infinitam seculorum seriem, veritatis et integratatis nota invaluerunt, quinimo quæ ipsa sua natura ac indole, a tricis et ambiguitatibus defensa, vetustatis odio aut accuratioris indagationis neg'ectu magis, quam veritatis amore, eversionibus obnoxia esse videntur. Inprimis hæc fata subeunt hujusmodi etiam veritates practicæ, quæ quæslum civicum et vitam hominum negotiatoriam quam proxime tangunt; harum enim utpote talium, quæ lucrum civile et

A

opulen-

opulentiam parandam concernunt, ob invidiam forte et simulationem humanam, non par ubi vis interpretatio salva manere solet, sed eadem a quavis fere rerum politicarum conversione, aliave vicissim occasione sub nexus civili opportune oblata, novam induere faciem cernuntur. Inter plura hujus generis exempla, novissimum sane quoddam discep-tationes in patria nostra super commercii natalis prærogativis, scriptis ventilatæ exhibuerunt. Lis ipsa se referit ad Jus illud exclusivum, quod civitas Gedanensis circa commercia maritima et ad ostium Vistulæ flu-vii exercenda atque regenda, sibi assertum idemque nonsolum in pos-sessione immemoriali fundatum, verum et privilegiis suis ac jure con-suetudinario munitum esse contendit: hujus quidem immunitatis pri-mordia omnem temporis memoriam superare in aprico positum est, an-tiquissima etiam historiarum monumenta, hanc urbis prærogativam ab omnibus peraque gentibus recognitam et stabilitam fuisse memorant neque sub mutatis successive regiminis formis, huic Gedanensi juri quidquam detractum fuisse liquet; sed novissime demum, posteaquam Prussiæ partem, Polonicam olim, nunc occidentalem vocatam, ex-ceptis Gedani et Thorunii urbibus earundemque territoriis, sub impe-rium Potentissimi Prussiarum regis cessisse constat; vicini Gedanen-sium incolæ in vicis seu suburbis ita dictis, negotiationem quaestuariam instituturi, parem ubique navigationis libertatem cum Civibus Gedanen-sibus sibi communem esse acriter propnagare conati sunt. Eadem vero li-bertate a Civitate Gedanensi vigore Jurium et privilegiorum suorum mascu-le denegata, res ipsa litigiosa fieri coepit, et inter verba utrinque proleta, mox in facta violentiora devenit, nunc vero post plures negotiations suscep-tas, amicabilis compo-sitio fortunatiorem nobis exitum ejusdem promittit. Proinde ipsum controversie statum, prudentiae pariter ac pietatis regulæ adgredi vetant, utpote quem Celsissimarum Potentissima-rumque

rumque Aularum discussioni vindicatum ad nostram quodammodo censuram vocare nefas esset. Cum vero occasione ejusdem, scripta non solum anonyma variis generis, sed ipsa quoque documenta pro defendenda utriusque partis causa in lucem edita fuerint, in quibus diversa simul juris universalis dogmata ad rem explicandam inservientia deprehenduntur, nostram inter alia attentionem id maxime excitavit, quod, cum Gedanenses, Emporii dignitatem et jura civitati sue vindicaturi, ad naturalem urbis situm et eidem originarie conjunctas ad commercia maritima opportunitates provocare non dubitassen, argumentum istud ab adverso partis defensoribus fere pro ridiculo habitum et tanquam absconum fuerit rejectum. Nobis itaque in theoria iurium versari consuetis, nec limites ejusdem egredi cupidis, hanc solum veritatem ad principia sua referre, et quantum speciminis loco pro viribus fieri expedit, ex fonte et securigine juris naturalis derivare atque explanare sine dubio licitum erit. Ceteroquin hanc nostram opellam, Patronorum ac Eruditorum censuræ subjiciendo, libere confitemur, nos eandem nec solide et fuse satis elaboratam venditare, neque ab aliis admodum naves atque defectibus liberam enunciare velle; si quis autem, quod non dubitamus, fore plerosque qui hoc sint desideraturi, de eo nos vituperare putaret, quod dogmata et asserta nostra, exemplis ex historia in primis recentiori depromtis confirmare negleximus, illi in antecessorum regerendum esse ducimus, nos praterquam quod archiores dissertatione uncula fines excedere noluimus, ex proposito in ejusmodi factis adferendis circumspctos esse voluisse, qua typis excusa non gratam ubique disputationem sibi demereris videntur.

## THEISIS I.

*Civitates maritimæ gaudent prærogativis a na-  
tura constitutis, quibus commercia in iisdem  
facilitantur ac promoventur.*

## §. I.

**E**xtra omne dubium positum est, ita propemodum comparata esse  
rum terrenarum naturam omnium, ut vici studinibus perpetuis  
obnoxia sint, et quæ initio quidem primove progressu optime conslitute  
esse deprehendantur, sublabi tamen suetæ, cum tempore ad inter-  
ritum velut precipites eant. In evolvendis hujusmodi eventuum cau-  
sis, nos quidem senioris Philosophiae ac religionis doctrinis imbuti, nec  
mero fato rem, commissari, nec a prudentia humana consiliis omnem  
effectum exspectandum esse arbitratur sumus, et quod ex principiis  
quidem ethnicis eleganter cecinit Juvenalis (a).

Nullum nomen abeſt, ſi ſit prudentia, ſed te  
Nos facimus fortuna Deam, coeloque locamus,

approbationem in foro Christianorum non habet; sed certe ſi quis ad  
examinanda negotia humana aciem mentis ſuæ intenderit, conſiteatur  
necesse eſt, quoniam extra ordinem fluant ſepius, easdem a superiori  
quadam cauſa quodammodo dirigi, ſive cauſu aliquid permittenteve  
ſaltem contingat numine, ſive viſ quædam occulta dispositionis divinæ,  
præter vires humanae prudentiae et ingeuii operetur. Quæ cum ita ſe  
habeant, homines pariter ac hominum societates, urbes, principatus et  
regna,

---

(a) Satyra X.

regna, inter continua statuum suorum et conditionum discrimina fluctuare animadvertisimus, pari modo negotia humana mutationibus adversis atque secundis s<sup>e</sup>pissime haud exspectatis trahuntur, et ita commerciorum quoque fortunam nunc nasci atque florere, nunc senescere, nunc prorsus interire, manifestum evadit. Quo magis vero sinistræ hujusmodi rerum commutations ab ordinaria via deflectere, et benigniori velut naturæ dispositioni adversari videntur, eo graviora nobis insortunia tum accidisse dolemus, eoque inferiori fato in coepitis et conatibus nostris innoxie turbatos nos esse conquerimur, et eo ardentius jura atque comoda quæ naturalis ierum ordo nobis constituit, quantum consiliis humanis effici potest, servare ac restaurare solliciti esse solemys. Inter plura sane negotiorum humanorum genera, exemplo est utilissimum et frequentissimum istud, quod in commerciorum exercitio versatur, cuius quidem quæ liberalior natura ipsi concessit adminicula, pro scopi nostri ratione, ulteriori disquisitioni subjecere apud animum constituimus.

## §. II.

Urbes maritimæ i. e. tales, quæ vel ad littora maris exsirvante vel ad minimum in vicinia maris liberi sitæ, ope fluminis intermedii, navigationis maritima opportunitate fruuntur, ipsa sua natura ad exercenda uberrimorum commerciorum genera aptas et velut instructas esse, vix ampla rigorosave demonstratione indiget, cum quidem, si cetera non deficiant ad mercaturam instituendam idonea requisita, quæ potissimum in incolarum commerciantium multitudine, et mercium copia æque ac expedita et lucrosa distractione ponenda esse putamus, nil magis opportunum commerciis ac favorable cogitari possit, quam quod ex vicinia maris, ratione invehendarum et exportandarum mercium

quævis

quævis commoda et emolumenta in promptu sint, quæ levamen et lucrum negotiis mercatorii non elidendum adferre queunt. Quodsi enim ex principalioribus saltē quæ indigitari merentur emolumētis argumentemur, traductio mercium mari facta, non breviori solum temporis intervallō perficitur, verum et sive sumptuum restrictiorem modum sive expeditiorem operam et magis exiguum mercenariorum numerum ad id genus negotiationis requisitum, contemplatus fueris, et eorum omnium commoditatē et facilitatē cum mercatura terrestri comparaveris, transportationem navibus factam, cuiilibet alii transvehendi modo præferendam esse, in aprico positum est: quinimo nec ob creibiores a tempestatis imminentes navigantibus calamitates, mercaturam terra suscep̄tam, tanquam tutiorem maritima censendam esse liquet; nam non leviora profecto damna viarum adfert longinquitas illis, qui per terram commercia prosequuntur, et si quæ majora nonnunquam discrimina navigantibus imminent, eadem humana partim industria averti possunt, partim brevitate itineris et exiguitate sumptuum ut et promanantibus inde quæstus multum uberioris proventibus compensantur. Hoc quidem intuitu ab antiquissimis inde temporibus, apud omnes peræque gentes moratores, artem nauticam ratione commerciorum gerendorum frequenter usitatam et excultam fuisse constat, et celeberrima sane ac opulentissima emporia, quorum nomina historiarum annales servarunt, vel ad littora maris, vel in confinio ejusdem sita fuisse perhibentur; ut pote quibus certe naturæ beneficiis allelecta pariter atque suffulta, affluentem rerum copiam sibi comparare, civilemque suam potentiam adaugere potuerunt. Quocirca præclarum illud Hugonis Grotii assertum confirmatur; Certissimum vestigial esse apertum mare; et inde amplissimæ illæ Tyriorum, Atheniensium, Carthaginensium, Venetorum, Belgarum, Anglorum, et maritimorum Hansici foederis civitatum

vitatum divitiae partim illustres apud antiquos fuere, partim nostris ad-  
huc temporibus plurimam sane partem excellent, quas tamen maritimi  
expertos commercii, eadem nesciam consecutæ fuissent.

## §. III.

Eandem ob rationem multo sane quam illi, quibus ut impietate  
detestabilis, ita periculosa temeritate visa fuit navigatio, rectius do-  
cuere, qui in bonis humanæ gentis communibus posuerunt navigatio-  
nes commerciaque maritima, et meliorem hanc sententiam plures non  
profanos solum, sed etiam sacros scriptores omnium ætatum fovisse  
constat, licet nec defecerint unquam, qui vel superstitionis erroribus  
subducti, vel deliriis philosophicis somniisve poetarum decepti, itinera  
mari suscepta non periculosa solum atque molesta, verum et temeraria  
et moraliter illicita esse venditarunt. Huc pertinet tritum illud Hor-  
atii. (a).

*Illi robur et aës triplex  
Circa pectus erat, qui fragilem truci  
Commisit pelago ratem  
Primus,*

quocum convenit comminatio Juvenalis nighantibus data (b):

*I nunc et ventis animam committe, dolato  
confusus ligno, digitis a morte remotus  
quatuvor aut septem, si sit latissima tada:  
ut et Seneca poeticum effatum (c);*

*Audax*

(a) Hor. Carm. Lib. I. Od. 3.

(b) Juven. Satyr. 12.

(c) Sen. Med. Act. 2.

*Audax nimium, qui freta primus  
rate tam fragili perfida rupit,  
terras suas post terga videns  
animam levibus credit undis.*

Ast supersedeimus pluribus ejusmodi sententiis adserendis, quæ a Platone, Aristotele (d), Catone Maj (e), aliisque severioris propositi Philosophis, qui pro austerioritate vitæ vel seculæ quam profitebantur, mercatura studio illecebras ad præsentis vitæ libidinem inesse crediderunt, ad damnandam négotiationem maritimam, hinc inde in scriptis suis sparsæ deprehenduntur: neque enim defunt alii Viri Sapientes cordatioris fæcæ animi atque ingenii, qui bonis humanæ gentis communibus, navigationes commerciaque maritima merito accenfuerunt. Sic apud Euripidem, Theseus laudibus Deum afficit, qui cum alia mortalium generi commoda impertierit, tum et maris navigationem, ut commercia haberemus inter nos rerum, quibus indiget terra: pari modo Seneca Philosophus ait (f); *commune bonum erat, patere commercium maris et regnum humani generis relaxari;* et apud Ciceronem verba leguntur (g) „*Magnos usus afferat natura ad navigia facienda: quorum curibus suppeditantur omnes undique ad vitam copie, quas res violentissimas natura genuit, earum moderationem nos soli habemus, maris atque ventorum propter nauticarum rerum scientiam, plurimisque rebus maritimis fruimur atque utimur.*“ In orbe quidem Christianorum haud modice olim laxiori commerciorum maritimorum amplexui, servi-

(d) Lib. VII. Polit. c. VI.

(e) Plutarch, in vita Cat. Maj.

(f) Sen. Lib. IV. de benefic. c. XXIX.

(g) Cic. Lib. II. de Nat. Deor. §. 152.

fervidior Doctorum quorundam ardor noctuiss videtur, qui mercaturæ studia procul omnino habenda esse existimarent, propterea quod eadem vitæ sanctimoniam everterent, ac perpetua ad peccandum incitamenta nutrimentaque inferrent: his autem non male jam respondit b. Thomas Vir summa inter Scholasticos auctoritatis, qui de proposito mercatoribus fine scite philosophatus (h) inter alia inquit: Lucrum tamen quod est negotiationis finis, et si in sua ratione non importet aliquid vel honestum, vel necessarium, nihil tamen importat in sui ratione vitiosum vel virtuti contrarium. Unde nihil prohibet lucrum ordinari ad probum aliquem finem necessarium vel etiam honestum, et sic negotiatio licita reddetur; sicut cum aliquis lucrum moderatum quod negotiando querit, ordinat ad dominus suæ sustentationem, vel ad subveniendum indigentibus, vel etiam cum quis negotiationi intendit proper publicam utilitatem, ne scilicet res necessaria ad vitam patriæ defint, et lucrum expetit non quasi finem sed quasi stipendium laboris.

, Ceteroqui nec existimandum est, ex omnium Ecclesiæ Patrum sententiis, mercatores in primis maritimos, temeritatis ac impietatis argutos fuisse, quem potius ad contrarium probandum varia navigationis mercatoriarum elogia in scriptis eorum reperiantur: sic v. g. Cyprianum sequentem in modum differuisse legimus (i) Mare seculi hujus necessarios habet hujusmodi transvectores, alioquin cessabunt commercia, nec ex transmarinorum copia aliorum inopia habebit subsidium, nec occurrerent sibi solatia regionum, si vehicula tollantur de invio et pelagus immensibile relinquatur<sup>“</sup>. Haud difficile foret plura hujusmodi loca ex Augustino, Ambroso et aliis citare, sed in re per se ita perspicua et

B

inter

(h) Thomas Aquinas Lib. II. Qv. LXXVII. Art. IV. ref. Werlhof.  
in Diff. de questu lictio.

(i) Cypr. de baptism. Xsti. c. 3.

inter ævi nostri lumina, a scrupulis religiosis longe defensa, justo jam verbosiores facti esse veremur; quid quod? ipsa scriptura sacra satis congrue voluntati divinæ Oceanum navigari manifesto inculeat, et eminentiorum quidem navigationum, quarum in sacris Scriptoribus existat memoria, non sine laude ac admiratione mentio sit (1). Proinde utut difficultate sua non careat, convenienter satis virtuti vivi, ubi maritima mercaturæ ingens fuerit studium, rejici tamen prorsus, ut virtuti contrarium, publicæque rei noxium non debet; tum quia ad prosperæ vivendum valet plurimum, tum quia satis id liquidum est, non ipsius adeo mercaturæ vitio, sed perversa humanæ indolis pravitate costringere, si qual peregrino commercio correpta civitas, mores una induat peregrinos, si qua præ divitiis spernat humana omnia, neque locum esse felicitati putet, nisi ubi effuse opes affluant, luxurioseque vivatur ac molliter. Enimvero si ut perniciosa damnamus commercia, quod facilime illis flecti possint in vita, quorum opera exercentur, non quod sua natura aliquid turpitudinis habeant; eo quidem modo, nec duces erunt utiles, nec magistratus, nec medicina, nec ipsa denique sapientia, quemadmodum Quintilianus (m) prudenter ex falsis ejusmodi principiis concludendum esse animadvertis.

## §. IV.

Quemadmodum autem a veritate prorsus alienum est, quod navigationis maritimæ exercitium, juri divino, iisque legibus atque fanci-  
tis

(1) Psal. 104, v. 26. Proverb. 30, v. 18. Sapient. XIV, v. 5.  
1 Reg. IX, v. 26. et XXII, v. 49. ut et Auctor. c. 13. 14. 15.  
18. et 20.

(m) Quintil. Institut. Orator. Lib. II. Cap. XVI.

tis repugnet, quæ virtutis ac morum civilium candorem respiciunt, tan-  
tum quoque abest, ut illud naturæ aduersetur, cum potius navigatio-  
nis inventum ex ipsa natura desumtum esse videatur (a), et nihil magis  
naturale esse possit, quam quod homines sana quidem ratione prediti,  
ac de maternis naturæ beneficiis edociti, eo maturius emolumentorum,  
quæ a maris vicinia redundant, participes fieri conati sint, quo prox-  
imus velociori huic elemento adsiti fuerunt, ejusque indolem et qual-  
itatem conspiciendi cognoscendique copiam habuerunt. Supremis qui-  
dem illis temporibus, quum domi nata paucis adhuc et frugalibus ho-  
minibus sufficerent, cunctisque communia essent bona naturæ, non  
adeo opus erat transmarinis commerciis et ad exterios navigationes; ra-  
tibus ad minimum et cymbis pisces et aliae aquatica prædae, a littore  
haud nimium remotæ, commode satis usurpari poterant. Sed post-  
quam crescente genere humano, urbes condi et dominia rerum distin-  
gui coeperunt, postquam laxiores hominum dispersiones et emigra-  
tiones secute, et in distitas undique terras coloniarum expositiones suscep-  
te fuerunt, postquam frequentiora tali modo inter populos consortio-  
rum genera coaluerunt, et simulatio civilis, luxus, industria, bella,  
sua quævis arctiorum confociationum incitamenta et nutrimenta dede-  
runt; tum quidem nihil magis naturale consecutum esse intelligitur,  
quam quod quisque populus beneficiorum, quæ natura ipsi constituerat,  
crebrum, et quantum fieri potuit, exclusivum sibi conciliaret usum, ea  
autem gens, quæ benigniori fortunæ afflatu in hoc acquisitionum ge-  
nere

B 2

(a) Confer, quæ inter veteres, Aristoteles lib. 4. hist. anim. c. I. et  
Plinius hist. nat. l. 10. cap. 10. super hac materia scripsierunt et  
quorum plura leguntur apud Curicke in Resolut. Quæst. Illustr. ad  
Jus maritimum respicientium,

nere deslita esset, opera sua et industria quotidiana defectum suppleret, sibique artificio modo compararet ea, quæ naturæ adminiculis nancisci prohiberetur. Facile omnino ad colligendum est, quod sub hac gentium erga se invicem relatarum conditione, inter prima fere quæstus et indigentiarum objecta, negotiationes terra marique, et conæxæ iisdem navigationes insitutæ et exultæ fuere, quarum opportuno auxilio, quod uni societati, sive ad necessitatem sive ad oblationem decesset, ab altera facilius peteretur, et omnium mercimoniorum non vitæ solum sustentandæ causa, sed utilitatem quoque et jucunditatem afferentium, affluentia latins ubique communicaretur. Etenim canente Lucrecio (b)

*Navigia atque agriculturas, moenia, leger,  
usus et impigra simul experientia mentis  
paulatim docuit, pedetentim progradientis:*

et si dicendum, quod res est, concinne satis historiæ hominum philosophicæ illi Civilis Prudentiæ Doctores consuluerunt, qui morum et rituum humanorum polituram, scientiarum et artium culturam, industriæ et ingenii luxuriosa quævis inventa, et quicquid fere ad evehendam felicitatem humanam, exquisitis mortalium viribus præstitum et produm quodammodo fuit, ex mercatura et commerciorum in primis transmarinorum satis ac successibus, derivanda et interpretanda esse professi sunt (c). Sed longius his immorari sumus, quam necesse est;

pro

(b) Circum fin. Lib. V.

(c) Conf. Andersonii Geschichte des Handels, Part. I. in proemio. It. J. C. May Versuch einer Einleitung in die Handlungswissenschaft in proemio historico, ut et v. Justi, Buesching aliisque Autt. ibid. citati.

pro praesenti enim scopo nostro evicisse sufficit, quod terre cuiusvis  
indoles plurimum ad maritimam mercaturam adferat ponderis, et si  
qua urbs mari adfusa, aliquave regione fluminibus instructa sit, per  
qua in Oceanum naves commode perducantur, maritimis illam flores  
centem commerciis, vel communis et maxime ordinaria incolarum ef-  
fectura sit industria; unde et omnem id fidem historicam habet, anti-  
quissimos maritimarum urbium cives vel parum vigilantes rerumque su-  
arum sollicitos, simulaque prima saltē rei nauticæ et mercatoriae no-  
titia imbuti fuerunt, naturales quasvis commerciorum opportunitates,  
cum animo easdem sibi proprias habendi, amplexos fuisse.

## §. V.

Veruntamen ne aliquid deficiat, quod ad conceptum urbium ma-  
ritimarum rite determinandum requiritur, apposite adhuc monendum  
est, quod nec sola maris vicinia sufficiat, ut omnino commerciis nava-  
libus opportunus civitatis situs habeatur; verum quod et portuosa simul  
esse oporteat, qua vicina littora ambit regionem, quoniam mercato-  
rum maxime interest, tutas ad Oceani littora fluviorumve ostia habere  
stationes, ad quas naves sine periculo appellere et merces allatas expo-  
nere vel importare inde navibus commode queant. Hoc ipso respectu  
Portus et Navalia privilegio pacis publicæ gaudent (a), quod portus qua  
publicus, non mercibus solum exonerandis inservit, sed ut naves secu-  
rum quoque receptaculum habeant efficit, et ut jure debito fruantur  
navigantes, quatenus stationem querunt et innocuum iter intendunt.  
Quibus cognitis nec quamlibet sine discrimine urbem mari proximam,  
in sensu juris publici ac mercatorii, maritimam appellare licebit; sed

illam

---

(a) Arg. I. 1. §. stationem ff. de flumint.

illam demum hac denominatione insigniendam esse perspicitur, cui vel sola natura, vel eadem cooperante, ars et industria humana portus commoditatem et opportunitatem indulxit. Licet enim in beneficiis istis constitutis ipsa natura plurimum valeat, et eadem prorsus novocante, vix humano labore perfecta quædam portus opportunitas suggeri poterit, id tamen in dubium vocari nequit, quod non solum congrua et accurata Architectorum scientia et opera, id quod naturaliter deest suppleri possit, verum et in expeditissimis sœpe a natura instructis portibus, quotannis fere emendatrice industria opus sit, ut littora stationibus navium apta et idonea conserventur, illavè quæ vi tempestatis aut injuria temporis accedunt impedimenta, consiliis operibus huminis convenienti modo avertantur: commodum enim commerciorum usibus portum, et aditu appulsuque facilem, et profundum et securum, nec procellarum rapiditati expositum esse oportet. Sub his itaque determinationibus, quidquid affluentissimum commerciorum cursum naturaliter facilitare ac promovere queit, civitatim maritimæ liberanter adeo dotatæ proprium et cum conditione sua conjunctum, futurum esse arbitramur.

## T H E S I S II.

*Prærogativis Civitatum maritimarum naturalibus, ejusmodi Jura per æquitatem et usum communiter superstructa sunt, quæ iisdem Emporiorum indolem et qualitatem conciliant.*

## §. VI.

**Q**uodsi urbs quædam maritima per longum nec interruptum temporis intervallum, beneficiis naturæ ex vicinitate maris suffulta, in insi-

instituendo et promovendo commerciorum transmarinorum exercitio  
 versata fuit, et non defatigata Civium suorum industria, negotiationem  
 ab initio tenuem et mediocrem tractu temporis ad amplitudinem et  
 opulentiam evexit; quodsi omnia quoque hæc commerciorum et pro-  
 speritatis civilis augmenta naturæ et legi convenienter, sine laſione vel  
 contradictione tertii cuiusdam facta esse intelliguntur: Quis quæſo tum  
 confiteri hæſitabit, ejusmodi civitatem veram ac genuinam ſibi poſſeſ-  
 ſionem commercii navalis acquifivifle, et earum quoque prærogativa-  
 rum uſu, quæ de æquo et bono ex Jure poſſeffionis proficiſcuntur, dignam  
 eſſe cencendam? Etenim meritum aliquod civium remuneratione  
 ſua non defraudandum, recte in eo ponendum eſſe argumentamur,  
 quod eorum industria ac labore, proſperitas rei publica incrementa  
 ceperit, quæ tiec legibus præcipi nec iuſſu vel voluntate ſummae po-  
 teſtatis unquam mandari et obtineri poſſunt: etiamſi jenim in Principiis  
 poſteſtate poſitum fit, commerciorum gratia privilegia conſerre aut pro  
 facilitando eorum curſu ſalutares quasdam condere leges, minime ta-  
 men libertas, ingenium aut labor ſubditorum adeo coerceri vel dirigi  
 poſtſt, ut ab imperio civili dependeat, urbes pro libitu ſuo commer-  
 ciorum flore reddere conſpicuas. Proinde ipſa poſſeffionis cauſa ci-  
 buſ poſtſet non meram ſolum navigandi et commercandi facultatem,  
 verum et maritimæ quæ in negotiationis poſſeffionē conſtituta eſt urbi,  
 juſ aliquod exclusivum conciliat; vi cuius ipſi, extraneum ſeu peregrini-  
 num ab uſu earundem prærogativarum prohibere licet, et ope priori-  
 tatis in tempore et facto quasitæ, exercitium juris enatum eſſe intelli-  
 tur, quod pares et ſimultaneos aliorum actus elidit et irritos reddit.  
 Congruē enim hic ſupponitur principium juris naturalis in explicanda  
 occupatione unius ejusdemque rei non omittendum; quod exercitium  
 juris unius, quomodo cumque imposſibile faciat exercitium juris alte-  
 rius;

rius; si enim is, qui jure tali uteretur, a reliquis impediri continuo posset quo minus utatur, tunc jus cuiuslibet seu unius &que ac alterius foret plane inutile et sine omni effectu. Eodem quoque argumento vis et robur illius præscriptionis nititur, quam ex possessione immemoriali evincere tenemur; hæc enim fortissimam, quin a contraria probatio defensam infert præsumptionem, id quod ita possidetur instar tituli valere et legitima ratione acquisitum esse.

## §. VII.

Ad explicandam vero genuinam istius possessionis quæ hic intelligitur indolem, ulterius tenendum est, quod eadem nec nudo navigationis maritimæ usu conficiatur, nec in eo solum consistere queat, quod cives urbis maritimæ, ex jure maxime communii maris vicinitatem sicut rem merae facultatis in commoda sua vertant, quippe quod se quicquid forte admittere videretur consequentiam, non tantum incolis locorum mari proximorum, verum cuivis fere homini id placuerit, liberum hujusmodi maris et negotiationis maritimæ usum non esse denegandum. Qoniam vero ex iis, quæ supra §. V. exposita sunt, sufficienter confici potest, regionem maris, qua vicina urbis littora ambit, portuosam esse debere, et ut in opportuno ejusmodi statu integra servetur, curam pariter et operam humanam ac continuam fere refectionem portus haud raro reposci, hinc omni dubio majus est, quod facta positiva ex parte urbis maritimæ desicere nequeant, quibus eadem jus possessionis sibi proprium esse contendit, et quod propter onera et sumitus quos in favorem commerciorum suorum in se suscipere tenetur, jure quidem reciproco et maxime naturali, illorum quoque emolumentorum et lucrorum exclusivo modo compos fiat, quæ ex apertu navium in portu suo et conjuncta eidem mercium advectione

et

et transportatione ulla tenus percipere fas est. Præter navigationis enim incommoda atque pericula, quæ naturaliter quidem et ex providentia divina, vel casu, vel tempestatis calamitate, vel nautarum quoque fœcordia, saepe sèpius occurunt, ratione portuum in primis dantur relativa ejusmodi præsidia, que hominum ingenio et industria, ad avertenda insigniora et frequentiora a navibus damna parantur, quorum et expeditam et circumspectam adhibitionem unicuique civitati maritimæ incumbere, nec a quâpiam de salute et prosperitate commerciorum suorum sollicita neglegendum iri, profectio facile est ad intellegendum. Tali modo, ut impedimenta maris ac fluminum tollantur, et omne id prohibetur, quo deterior navigatio reddi possit, jure jam romano expressis legibus cautum fuit (a), flumina vero et maris accessus ubi commode fieri potest, ut purgantur, retentur et profundiora reddantur, iussu et autoritate potestatis civilis in primis effici debet; ne quoque sabura navium in mare aut flumen exoneretur, id quod non nisi in fraudem et detrimentum profundi fieri queit, sed alio potius avehatur, legum navalium nonnullæ graviter injungunt, et reipublicæ curam idcirco exposunt (b). Ad avertenda potissimum damna nocturna, ut et ad portus locum tutioremque accessum indicandum, phari nonsolum, speculae et ignes nocturni aliaque signa excitantur, sed etiam vas grandia ad fundum lapidibus et catenis defixa et supra undas eminentia certis intervallis ita disponuntur, ut inde maris profunditas exploretur, pulvini, syrtes ac vada evitentur, et ad istorum vasorum metas, cursus innoxius dirigatur. Tacemus reliqua ad facilitandam navigationem remedia, quæ artem et industriam hominum continuam

C

fere

(a) Tit. ff. de flum. et re quid in flum. publ.

(b) Jur. Naut. Hanseat. Art. 39.

fere requirunt, ut portuum conditio usui non impedito accommodata servetur, nec uberior ea referre volumus, quæ portum vel reficiendum vel noviter exstruendum respiciunt, nec ea quæ nonnunquam circa redintegrationem alvei corrupti, quo flumen in mare decurrit, sollicitam æque operam ac non modicos sumitus exigere solent: jam enim ex iis quæ pro scopo nostro levi saltē penicillo contačia fuere, cognitu atque perspectu facillimā erit, quod naturalia ista possessionis jura civitatibus maritimis intuitu negotiationis navalis vindicata, minime per nudum et subitaneum usum rerum merae facultatis conficiantur atque stabiliantur, sed in legitimis ejusmodi factis omnino fundata sint, quæ nisi omnia jurisprudentiae naturalis principia rejiciantur, firmam et continuam æque ac exclusivam et ab aliorum potestate defensam in re facultatem inferunt atque progignunt.

## §. VIII.

Plurimum id sane ad historiam commerciorum ætatis nostræ In-  
cūlentius enucleandam conferret, si in opulentissimarum quæ hodie-  
num supersunt civitatum maritimarum origines et successivos progres-  
sus penetrare licet, quarum tamen cum fere omnium primordia, sub  
velo obscuriorum medii ævi seculorum delitescant, in iis saltē quæ  
veritatem factorum exhibent vestigiis subsistendum est, ex quibus ad  
minimum cognoscitur, quod urbes germanicae et quæ ad earundem  
exemplum in vicinis Germanie terris adornatae esse intelliguntur, non  
tam ex institutis Principum, quam propriis fere et ut plurimum felicis-  
simis conatibus, lucrosam commerciorum conditionem sibi vindicav-  
rint, quæ quoque seriori posthac tempore consociationibus negotia-  
toriis et hanseatico in primis fœdere munitæ, in dies laetius efflorescere  
coope-

cooperunt (a). Eodem pariter modo, urbium maritimarum jura, quæ exclusivum negotiationis navigatoriæ exercitum concernunt, non tam omnia ex jure Majestatico et Principum privilegiis profluxisse, quam potius pacis liberarum civitatum aut rerum publicarum inter gentes vel tacite approbatis, vel positive confirmatis, ut et præscriptione hominum memoriam excedente munitis, enata et parta esse animadvertuntur (b). Sub ejusmodi igitur initii, et quantum videre est, auspicatis rerum successibus, insignior omnino pars urbium maritimarum, traetum temporis opportunitates suas naturæ beneficio acceptas, commode eum in usum convertit, ut jam juribus perfectis et positivis hac facultate naturali superstrucis potiæ, iisdemque intemeratis ac jure gentium et civili recognitis, sub continuo exercitio fructuæ sint. Nos quidem per eminentiam istiusmodi civitatibus Emporiorum denominationem impertire non dubitamus, et omnem illorum jurium complexum, quæ favorem, libertatem et singulare tutamen commercii civici respiciunt, ex qualificata seu naturaliter veluti privilegiata urbium maritimarum conditione principaliter derivandum esse censemus: secundum accuratiorem enim determinationem, Emporium nobis sequentibus potissimum criteriis metiendum et ex iisdem dijudicandum esse videtur, nimicum quod sit urbs maritima mercaturæ exercitio florentissima facta, quod intuitu commerciorum suorum facultatem habeat, navigationem in proxima maris regione ut et in flumine vicino regendi ejusdemque in portu suo

C 2

curam

(a) Conf. Gottl. Boehme de commerciorum apud Germanos initii. It. Cel. Schlœzeri Versuch einer algemeinen Geschichte der Handl. und Seegefahr in den ältesten Zeiten.

(b) Loccenius de jur. mar. et navalib. Lib. I. Cap. X. §. 6. Befoldi Thes. pract. sub Lit. S. p. 898.

curam sibi vindicandi; quod porro istis ornata sit prærogativis, quibus partim commerciorum suorum cursum facilitare et sublevare, partim et civium industriam excitare, et civitatem commoda peregrinorum lucris preferre liuerit: ceteroquin unum idemque erit, sive hæc jura et quæ in iisdem forte continentur privilegia, per specialem sancti-  
nem summae potestatis vel Principis acquisita fuerint, sive per conti-  
nuum usum et observantiam ex justa prescriptione adoleverint aut sum-  
mae potestatis confirmatione munita fuerint. Nostra cum sententia  
circa definitum huncce vocis Emporii significatum neque communis so-  
lum loquendi usus concordat, sed veteres etiam pariter ac recentiores  
plerumque Autores eundem sensum stabilire amarant (c). Similem  
conceptum Ciceronem jam cum vocabulo isto combinasse, a pluribus  
ex notissimo loco in epistolis ad Atticum desumpto (d) observatum est:  
Sed principaliter nos hic referimus ad Werdenhagen æstimatum omni-  
no in rebus commerciorum historiam spectantibus Autorem (e), qui  
paulo clarius ortum istius appellationis explicasse videtur, dum simul,  
quemadmodum per abusum et consuetudinem genuina maxime signifi-  
catio perierit, ostendit. Ita enim se habent verba hic notatu potissi-  
mum digna: *Verum paucis quoque nunc patebit, quid sit Jus empirii*  
*seu forum publicum mercatus: quamvis hoc jus valde fuerit semper*  
*in usu, et cum ipsis a principio commerciis florere incepit: tamen*  
inter

(c) Vid. omnino Ill. de Selchow. Elementa Juris german. privati ho-  
dierni Lib. I. C. 5. Se&t. III. Tit. I. It. Jo. Werlhof. Dissert. de  
maritimis commerciis, in proemio.

(d) Lib. 5. ad Atticum epist. 2.

(e) J. A. Werdenhagen tractatus de rebus publicis Hanseat. Part. III.  
Cap. XX.

inter ICtos vix sunt aliqui, qui ex professō quid de eo conscripserunt. Unde etiam adeo confuse a multis accipitur, ut neque id quod Emporii vigor exigat, recte disjudgetur. Alias enim antehac non adeo jus flapula secundum eam appellationem in usu fuit, sed ex Emporii hanseaticis in confuetudinem traductum est, ut proprium earum dicatur verbum, ceu Stapeln nil aliud est, quam merces exponere, et iterum compingere. Ut tamen aliquid perfectius percipiatur, ante omnia Synonima et locutiones genuine sunt observanda. In Jure Weichbildico Saxonum Art. 9. reseretur, quod Mercatores Cesarem sollicitarint, ut illis jus altius commercii concederet, et habeat textus haec verba: atque tunc Rex concedit illis alia sublimiora jura et talia jura, qualia ipse quotidie in sua observabat aula. Daubius, qui pro reliquis ICtis in talibus fuit accuratus, rite talium jurium censuit adscribit Jus Emporii, Gerant, sislendi, praesentandi et exonerandi, flapale, et vocat hoc forum Mercatorum, contradistinctum a foro causarum, ceu illud rite ex ipso textu jurie Weichbildici expeditum sapienter reddidit. Signum autem hujus juris attributum est speciale in emporialibus adibus sive forensibus talibus, quas textus Weichheuser dicit: certe etiam Job. II. v. 16. οἶκος ἐπιπλογῶν domus mercatus talis locus vocatur. Quandoquidem igitur item de ambiguo et vacillante jurium emporii et flapula significatu, sapius exortam atque recoclam, nostram hic facere prorsus detrectemus, et sagacissimum potius judicium recentissimi cuiusdam Autoris Anonymi (f) valde nobis arridere consiteamur, quod subtiliori nempe ICTorum ingenio et arte, significationes horum vocabulorum tantopere sint contortae, ut

cuique

(f) In commentatione epistolari cui titulus est, das Neueste aus Danzig 1784. pag. 7. et 8.

unicuique fere quidquid ipse velit, inde demonstrandi copia detur: de eo tamen, nos ferme convictos esse putamus, quod Emporii vox, pro originario et genuino quem habet significatu, de ejusmodi civitate enuncianda sit, quæ favore naturalis situs et conditionis suæ, ope eminentioris i. e. maritimi commerciorum generis, opulentiam et eximiam sibi conciliavit prosperitatem. Jus emporii autem, si vel maxime illud Jus flapulæ plenum nuncupare, sive et alio quopiam titulo compellere malueris, vero nomine non nisi generaliorem significabit omnium eorum jurium complexum, quæ in utilitatem et amplificationem commercii sui civici, emporio cuidam, constituendi et exercendi facultas competit.

## §. IX.

Utut autem ex dictis prono. alveo fluat, quod Jus emporii secundum generalissimam quam de eodem dedimus determinationem, singulas omnino mercatus prerogativas, v. g. quæ appellatione sua notabiliores sunt, Jus nundinarum, Geranii, portus, flapulæ et ejus generis alia sub se comprehendat, minime tamen id perinde explicari volumus, ac si omnia ista jura simul sumta adesse et exerceri debeant, ubi emporii nomen et indues deprehenduntur. Sufficit enim profecto, totidem cuiilibet emporio competere immunitates et prerogativas, quot pro situ sui opportunitate et conditione pariter civili, ad sublevanda commercia sua acquirere et constitui successive sibi concessum fuit: sive tamen pluribus gaudeat, sive aliis pro parte destituatur, nihilominus dignitatem suam emporialem civitas maritima retinebit, dummodo diffuso undique commercio excellat, et qualitatibus §. præc. criteriorum instar exhibitis prædicta est. Eodem pariter respectu, promovendis per peregrina commercia civism utilitatibus accommodatam consuetudi-

suetudinem, quod advenæ seu peregrini bona mercesve suas in urbem translatas nemini nisi civibus vendere debeant, quam quidem ex Hanseaticis statutis et Jure in primis Lubecensi (a) usitatam factam esse constat, haud incongrue ad effectus Juris Emporii referendam esse arbitramur, eandemque non minus cum aquitate naturali convenire existimamus. Tametsi enim recentioribus quibusdam ICtis afferere placuerit, quod Ius istud civitatem extraneos a libertate negotiationis interesse gerenda excludendi, in mero quodam signo consistat, et forte ab hoc illovo Emporio primum excogitatum, posthac ab aliquo causarum Patrono in enata idcirco controversia propugnatum, et tandem ab Auctorum uno post alium sine crisi descriptum fuerit (b), nos tamen huic opinioni assensum nostrum denegare hanc una ratione movemur. Ad necessaria quidem a quo pretio comparanda ius omnium commune est; ad sua vero vendenda ius aquale hominibus non competit, cum quid acquirere velit aut minus, in cujusque populi arbitrio collocatum sit. Quodsi ergo certis mercibus negotiari, citra injuriam esse in prohibitis licet, quidni etiam circumscribere in emporiis liceret peregrinorum negotiatorum commercium? quum porro majora plerumque non vectigalia solum, sed et alia onera publica in quovis fete commerciorum genere Civitatenses in se suscipere teneantur, damnum inde proveniens ex commodis peregrini commercii quodammodo compensatur. Quinimo, si dicendum quod res est, omnia hujusmodi jura per longam

(a) Jur. Lubec. Lib. III. Tit. VI. Art. VII.

(b) Ut videre est in Ill. Dohmii commentatione præliminari ad litteras Pseudonymi Elbing, quæ novissimam controversiam de navigatione in Vistula fluvio concernunt, citato ibidem loco ex Cl. Windscheid commentatione de stapula, p. LI.

gam consuetudinem inveterata, quibus neque jus a tertio quæsumum violatur, neque sanæ rationis et æquitatis naturalis præcepta infringuntur, id quod ab initio humanitatis erat, in officium necessitatis veluti commutatum esse involvunt, adeoque cum ortu et progressu ipsarum urbium adulta, et maxime naturalia iisdem redditæ esse existimari debent. Proinde hisce principiis accusationi ponderatis judicio, evictæ veritatis esse perspicitur, quod naturalibus quæ urbi maritimaru conditioni ad stabilienda commercia sua profuerunt commodis et opportunitatibus, illa itidem jura vim ac robur suum debeant, quæ pedetem in favorabili iusmodi situ et convenienti rerum vicissitudine superstructa, invaluerunt.

## T H E S I S III.

*Sublatis emporiorum prærogativis et juribus quæ commercia respiciunt, ut simul substantialis corundem prosperitas intereat, necesse est.*

## §. X.

**P**rostequam hactenus naturalium, quæ commerciis urbium maritimorum prosunt, commodorum atque juriū origines contemplatus, pro more veterum Jureconsultorum, qui ortum simul et interitum rerum exponere solebant, ea paucis superaddere animus est, quæ de naturalium ejusmodi beneficiorum deterioratione ac eversione notari merentur. Enainvero quamvis contradictionem fere involvere videatur, opportunitates locorum a natura constitutas, corruptionem ipsamve ruinam ingredi posse, permultis tamen id experientia manifestum reddidit exemplis, quod felicissimi nonnunquam rerumq; nature convenientissimi commerciorum progressus, calamitatibus et causis impro-

improvisis impediti, imo prorsus rescissi fuerint: eatenus nobis nec displicet incerti cuiusdam Autoris opinio, quam in litteris historici argumenti a Celeb. Schloetzero editis legisse meminimus (a); quod nempe necessitas mercatus ad certum aliquem locum adfixa, nec detur, nec serio supponi queat, id quod Autor ille in litteris suis apposite de mercibus ex Polonia evēhendis probare conatur, sub eadem occasione autem, commentitia simul et erronea multa de commerciis Mercatorum Gedanensium enarrat. Nos interim neque eorum eventum recitatio detinebit, quibus inter calamitosas naturae revolutiones e. g. per terrae motus, incendia, inundationes et ejus generis alia, locorum indeoles et facies adeo convertitur atque mutatur, ut pristinæ ad commercandum opportunitates penitus dirimantur; neque eorum factorum mentionem inferemus, quibus homines et gentes inter se invicem hostilibus quidem animis, se per bella navalia, depradationes piraticas, et portuum infestations, fortunato commerciorum suorum statu vel successu privare conantur; sed tria potissimum eaque principaliora impedimentorum genera commemoratur sumus, quibus pacificam inter atque tranquillam que vel maxime adesse videtur, circumstantiarum conditionem, nihilo tamen secius, fructuosissimæ ad negotiations terra marique instituendas naturae dispositiones irritæ redduntur, et emolumenta civitatum mercatoriarum tantopere infringi ac deteriorari queunt, ut salus earum et substantialis fere conditio vel subitanæo modo, vel successive ad interitum vergere perspiciatur.

## D

## §. XI.


(a) A. L. Schloetzers Briefwechsel hist. und polit. Inhalts, Th. 2. §. IX.  
p. 185. folg.

## §. XI.

Quemadmodum secundum universalissima Juris principia casus necessitatis in genere efficit, ut ejusmodi jura locum obtineant, quæ citra urgentem necessitatem legitime admitti nequeunt; ita pariter in republica, existentia casus extreme necessitatis, jura plane extraordina-  
ria in potestatem civilem confert, quæ quam sæpissime cum violatione  
juris singulorum, salutis publicæ causam promoveri præcipiunt. In eo  
itaque primum fundamentum, ex quo commercia civitatum maritima-  
rum perire solent, collocare tenemur. Nec etiam in historiis deficiunt  
exempla, quod summi Imperantes vi potestatis civilis eminentis, quæ-  
sum aliquando negotiatorum civium suorum, in una alterave civita-  
tē, legibus et factis prohibitoris penitus fustulerint, quoniam salus to-  
tius reipublicæ poposcit, ut commerciorum cursus ad alium subinde  
locum protraheretur; neque si prosperitatis publicæ ratio id infert, ab  
imperii eminentioris potestate alienum est, portus sui opportunitatem  
congestis ruderibus corrumperet, aliwo modo ad navigandum inutilem,  
periculosum aut inaccessibilem reddere, quo facto quod naturæ benefi-  
cio concessum fuerat, opera humana illico converti ac destrui potest.  
Altera commerciorum extendorum causa extra limites ipsius reipubli-  
cæ ejusque potestatis civilis versatur; eadem vero unice in naturalium  
æque ac politicarum viciſſitudinum rationibus querenda est, quibus certe  
efficitur, ut quæ per diutinum temporis intervallum, non nisi uno sem-  
per eodemque modo fieri posse credita fuere, mox occurrente casuali  
quadam occasione, aliam ingrediantur viam, et fundatam veluti spem  
beati jam sibi metu possessoris eludere cernantur. Tali enim modo  
Alexandriæ, Genuensium et Venetiarum Emporia, opulentissimorum  
commerciorum lucris exuta fuisse cognitum habemus, posteaquam novæ  
navi-

navigationis viæ, circa Africæ promontorium in Indiam orientalem, a Lusitanis exploratæ fuerunt; similia etiam plures Germaniæ urbes fata subierunt, cum partim maris partim fluminum, commercii causa immutato transitu, hæc vel illa urbs, antiquo more in negotiationis quodam genere constituta, si non omnem, plurimam tamen lucri sui negotiatori partem, ad aliam subinde civitatem sine regressu abiisse animadvertisit. Hujusmodi fere obstaculis nihil aliud opponi posse liquet, quam quod, natura situs et conditionis id permittente, opportunitatem opportunitate, et levamen levamine devincere conemur, prout omnino commerciorum florem; pro celeriori et commodiori mercium transportatione, in locis inter se æmulis, extolli et magis vigescere conspicimus. Quod tertiam denique damni causam concernit, qua emporiorum florentissimorum vires hebescunt et rescinduntur, eandem pra reliquis maxime exitiale nominandam esse haud dubitaverit quisquam: hæc autem in eo consistit, quod urbs maritima felicissimas inter situs et conditionis suæ opportunitates uberrimosque stabilitorum sibi mercatum fructus, sequenti fato, illam ad quam pertinet provinciam sive terram, sub alieni Principis sceptrum cedere animadverrat, et nunc instar membra a corpore suo avulsi, peregrinis undique terris inclusa, vicinisque incolis alienigenis facilis circumincta, ratione prosperitatis suæ civilis vitaque civium quæstuaria, innumeris interruptionibus et vexis sepe expositam sentiat. Tum enim, quoniam omnia mercimoniorum genera, sive terris eademducendo sive in fluminibus defluitando, per alienum territorium transportari debent, benignior quidem illa onerum et vestigialium moderationis haud expectanda est, quæ in patriis et uni eidemque imperio subjectis provinciis, sub paribus aut æquis ad minimum ubique immunitatibus concessa esse solet; sin autem hujusmodi præterea vestigalibus atque tributis, quæ in vicinis terris pro transvectione mercium solvere necesse

necesse est, libertas commerciorum non mediocriter tantum restringitur, verum et gravitate sumtuin et onerum impostorum, negotiaciones durius habentur et adeo premuntur, ut omne lucrum mercatorium iisdem interceptum appareat, quid proximius tunc inde consequi potest, quam quod comineria non modo labefactentur, sed etiam tractu temporis penitus sislenda et intermittenda sint. Fieri enim nequit, quin sub innumera difficultatum huic oneri subjunctorum serie, et sub mercium caritate inde exoriunda, nec negotiator emtorem sit inventurus, nec opifia et artes negotiationi connexae indigentias suas venali pretio accepturae sint, nec tandem mercatores peregrini atque navigatores op- pressum tot incommodis locum diutius frequentatur, sed alio migraturi sunt, ubi quæstus civici copia habetur, et vilius ea constant, que ad mercatum pertinent, ut et quæ ad victimum et amictum hominum in societate civili comparare necesse est. Lugubria ejusmodi fata beatissimas sane Emporiorum conditiones intra exiguum temporis spatium evertere valent; sive autem hæ calamitates indissolubili vinculo cum commerciorum ruina conjunctæ, repentina motu in nubes mercatorias irruunt, sive lento veluti gradu, ad instar anguis sub herba repensis accedant, in utroque certe casu consequens est, quod publica salute submersa, privatorum quoque prosperitas mox evanescat, quod fontibus civici quæstus et lucri quibusvis obstructis, nec opifia, nec artes, nec literæ vigere et efflorescere queant, quod tandem opibus civium ditorum exhaustis, tenuioris fortunæ incolis ad incitas redactis, urbs ipsa ab iisdem derelinquatur ac evacuetur, et extrema sua fata cum domibus ruinosis atque desertis exspectet. Profecto, si quid in votis habere possunt boni cives, ut a pernicioseissimis istiusmodi malis patria uniuscujusque defendatur libereturve, sunt precaturi.








ULB Halle  
002 713 802



3

Gl,



B.I.G.



SPECIMEN

JURIS PUBLICI UNIVERSALIS

DE

COMMODIS ET JURIBUS, QUÆ  
SITUS ET CONDITIO CIVITATUM  
MARITIMARUM NATURALIS, AD COMMERCIA  
IN IISDEM EXERCENDA INDULGENT.

QUOD

PRAESIDE

DANIEL GRALATH

JUR. UTR. D. EJ. ET HIST. P. P. O. ET ATHEN. INSPECTORE

IN AUDITORIO MAXIMO

AD D. X. AUG. A. R. S. d<sup>o</sup> 10 CCLXXXIV

ADVERSUS OPPONENTES

CHRIST. MICH. NATHAN. GERBER, GED. I. V. C.

CAROL. MICH. GRODDECK, GED. I. V. C.

CAROL. FRIDER. REGIMENT, GED. I. V. C.

PUBLICE DEFENDET

JOANNES EPHRAIM SCHMIDT, GED. I. V. C.  
STIPENDII FISCHERO FERBERIANI ALUMNUS

GEDANI,

TYPIS DAN. LUDOV. WEDEL, MAGNIF. SENATUS  
ET ATHENAEI TYPOGRAPHI.

